



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

IX. Diuisio constit. S. Ignatij in decem partes, earumque nexus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

ac successoribus nostris dumtaxat reservamus, ne dicta Societatis Institutum, Constitutiones, aut Decreta, vel ex eis quidpiam, &c. maioris boni, aut zeli, seu quouis alio questio colore, aut pretextu, directè, vel indirectè, impugnare, vel immutari, alterari, aut formam aliam, seu rationem circa ea induci curare, &c. audeant, &c.

IX.

Divisio constit. S. Ignacij in decem partes, earumque notus.

Indicata nunc leuidentè atque in genere, structura Instituti ab Ignatio exædificari, sequitur imprimis vt aptas inter se constitutionum partes videamus, earumque distinctam conformationem, prout ab illo præscriptæ sunt; rationum deinde seorsum pondus quibus auersus est, seu dicam verius, à Deo veritus, quædam in eas inducere, quæ sanctè in alios Ordines inducta seruantur: Corpus ergo Constitutionum decem partibus aptauit, ita nexis, vt posteriores à prioribus oriantur, eo nascendi crescendique, ac sui tuendi ordine, quem religiosæ vniuersitatis bene compositæ iunctura deposcit. Pars prima dotes numeratè ponit, quibus esse præditos oportet qui admittendi sunt in hoc vitæ genus; nauos item qui ab eo arcent, si sciantur; si vero ignorentur admissionem irritam faciunt, perperamque adscitos excludunt. Cum autem qui cooptati sunt, expectationi quam fecerant, non omnes inter experimenta respondeant, nec sit ineptis Societas oneranda; parte altera causas, modamque præscribit, quo dimitti ab ea debeant: qui vero retinentur horum multos in annos periclitatio tenditur, priusquam Societatis corpori accedant: variis itaque auxiliis prouehendi sunt in cursu pietatis, & egent regula, quæ contineantur in proposito fide, fiantque habiles ad ministeria, quæ quilibet pro virili sua præstiturus est salutis alienæ, vtrique pars tertia Constitutionum abundè prospexit. Sed ministeria quæ ex instituto Societas maximè proficetur, cum supellectilem exigant literarum minimè vulgarem, de illorum studiis, progressu, ordine, gradibus, partitione scientiarum, & linguarum, pars quarta præscribit, & de totius Vniuersitatis dispositione: de regendis quoque sustentandisque Collegijs ibidem agitur, in quibus seorsim à Professis domibus habentur scholæ. Et eatenus quidem de necessariis ad professionem votorum quatuor, quæ Societatis corpori inseruntur, qui suam in literis, & virtute præstantiam, cumulatè Societati probauerint. Quare parte quinta condiciones exponuntur, tum gradus illius Professorum; tum inferioris alterius spiritualium adiutorum, in quo illi consistunt, quibus mediocritas sua superiorem negauerit. Iam Societati intime adiunctos, consequens fuit edoceri primum, quales in seipsos deceret se gerere, idque præcipue votis religiosè obseruandis, quod docet sexta pars; tum erga proximum, obeundis Societatis muneribus, quibus eorum iuuatur salus; missionibus præsertim, iubente Pontifice, vel Generali Præposito susceptis, vt septimo loco edicitur. Quibus huc vsque omnibus Societatis corpus formatum est, caput autem illius, quæ consequuntur partes duæ propius attingunt; docet enim, & sancit Octaua Societatis cum illo nexum, & de legendo illo & conuentu ad eam electionem

nem

nem Generali tractat; nona Societatis cum eodem stabilitur consensus eius bene regendæ præsidia, & mutua vtriusque auctoritas; decima denique augendi, tuendique sui, communes viæ Societati assignantur, atque hoc Ordine Ignatij constitutiones denotata hæc articulatio connectit, ac diuidit; quibus ab ipsomet, ad singula capita, addita est elucidatio, cni (vt Generali quoque Examine) non minor quam ipsis obseruantia debetur. Quod autem prima post sancti obitum Congregatione Generali quæsitum est, an esset aliquid in iis mutandum? causam hanc patres habuere, non fuisse illis postremam manum, vltimamque approbationem à fundatore sancto adhibitam; decretum nihilo secius, intactas penitus seruari, obseruarique oportere, neque in posterum de vilo consulendum, quod earum substantiam tangeret: cetera momenti leuioris, possent dumtaxat hæc lege proponi, ne qua in iis item admitteretur mutatio, nisi quam experientia, aut euidentis ratio imperaret, quibusdam vero extra legitimum Constitutionum canonem regulis de quibus S. Patris comperta mens vltima non erat, suam cuique vim, & locum eadem Congregatio tribuit. Sic itaque Constitutiones ex S. Viri autographo exscriptæ, & magna fide cum eo compositæ, inde in propriam, atque immobilem Ordinis legem acceptæ sunt, & publico iussu ab Ioanne Polanco Secretario subscriptæ, ac sigillo munitæ, ab eodem postea Latinè ex Hispanico redditæ, demum sapius collatæ, emendatæque ad primigenium textum, post plenam approbationem typis editæ sunt. Nunc partem alteram quod spectat.

Id primum occurrit, certi coloris, aut formæ præscriptum habitum Societatem non habere, quod parum aduertens scriptor quidam vitæ Pauli IV. habitum nobis de suo Ordine commodauit, cum tamen ab eo quo vulgo vtimur vestitu, aliena sint nonnulla, quæ sunt illius Ordinis in veste propria. Tunicæ quidem erectum collare à patriis Sacerdotibus honestis fundator sumpsit, talarem vero pallij vice Scholasticis dedit, Parisientium imitatione, inter quos & ipse studuerat, & quod iuuenes nostros primùm ad studia miserat, sed horum neutro schemate ita socij vtuntur, quin pro varietate regionum, & occasionum, diuersum adhibeant. Clericorum cultu incedimus, quòd clerici sumus, & (si cui lubeat) sit hic sanè nostri Ordinis proprius, nempe clericalis. Eius autem modum conditione triplici sanctus definiuit. *Vt honestus sit; vt ad usum loci in quo viuitur accommodatus; vt professioni paupertatis non repugnet.* Præter quas fuit aliundè ita idonea ratio, vt necessaria quoque videatur; Hæretici enim ad septentrionem, veterem cultum monachorum tam exosum, & execrabilem populis fecerant; vt iis conuertendis deuota Societas, prudenter, & necessariò abstinuerit eo cultu, cuius ipsi aspectum exhorrebant, ne tanquam à feris sic ij ab sociis fugerent, qui tamen solo eorum congressu domestico & familiari iuuari poterant: quin etiam, cum inter ethnicos plus auctoritatis ad fidem habeat literatorum cultus, vt

X.

*Chr. Societas
certo habitus
non utatur.*